

tandem subjungere modos, quibus jura semel constituta iterum amittantur, dissolvantur vel in alios deriventur; id quod cuivis vel per transennam libros Juris inspicienti obvium erit. Inter hosce autem postremos modos haud postremus est dissolvendi modus: **C O N F U S I O**, materia per universum Justinianei corporis latifundium diffusa, ac insuper in foro & praxi frequentissima, utilissima, de qua, cum **B O N O D E O**, in praesentiarum pauca.

### THES. I.

Etymologia  
Vocis Con-  
fusionis.

Ejus Homo-  
nymia.

**C O N F U S I O** est vocabulum non natum, sed ab origine factum duplici, & junctum seu compositum a **C O N** & **F U N D O**: ita ut quoad nominis definitionem nihil aliud denotet, quam actum, quo aliquid una seu simul funditur. Hinc in propria sua ac nativa significatione rerum liquidarum conjunctionem denotat, rerumque solidarum mixtioni, tanquam speciei disparatae opponitur; quo ipso in significato a Romanis LL. latoribus modis quoque acquirendi domini accensetur *in §. 27. I. d. R. D. l. 7. §. 8. & 9. l. 27. §. 2. ff. d. A. R. D. l. 3. §. 2. ff. d. Rei Vindic.*

### II.

Ab hac tamen significatione vox Confusionis per analogiam: traducta est ad quamcunque inordinatam pluriuum rerum conjunctionem, quae ordinatae rerum dispositioni contradistinguitur: Et haec significatio non tantum in communi loquendi usu est frequentissima, sed & haud admodum rara in Jure nostro tum Civili, tum Canonico, uti apparet *ex l. f. ibi: Nominum & rerum foeda confusio. C. d. legit. int. l. f. vers. Sancimus. C. de Annal. Except. N. 1. c. 1. §. 1. vers. Inordinatum. c. 3. ibi: confusione quadam judicii ordinem perturbare. X. d. Ord. cognit. c. 5. X. de praescript.*

### III.

In Jure nostro specialiter denotat duorum vel pluriuum ju-  
rium